

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVII - N. 2

1995

COMMUNICATIO NES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1995

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Ex Allocutione Summi Pontificis ad quosdam Brasiliae episcopos sacra limina visitantes habita	183
Ex Allocutione Summi Pontificis ad quosdam Brasiliae episcopos occasione oblata visitationis ad limina	186
Ex Allocutione Summi Pontificis ad eos, qui Coetui Plenario Academiae Pro Vita interfuerunt, habita	190

ACTA CONSILII

Nota explicativa in casu particulari	192
Interpretationes authenticae (in unum collectae)	195
Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	209
Pontificii Consilii publicationes	211

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Responsum ad dubium circa doctrinam in Epist. Ap. «Ordinatio Sacerdotalis» traditam	212
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XIII)	213
Coetus studii «De Institutis perfectionis» (Sessio XIV)	275
Notitiae	330
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	331

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

I

COETUS STUDII «DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XIII

(dd. 24-29 aprilis 1972 habita)

Diebus 24-29 aprilis 1972, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii «De Institutis perfectionis» sub moderamine Rev.mi P. Bidagor S.I., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant Rev.mus P. Said, O.P., qui munere Relatoris functus est; Exc.mi quattuor, Rev.mi novem, atque unus Ill.mus Consultores. Quibusdam adunationibus interfuit etiam Rev.mus unus Consultor. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, quia impediti, Exc.mus unus et Rev.mus unus Consultores.

Rev.mus Secretarius adstantibus salutem dicit gratiasque refert, atque rogat Rev.mum Relatorem ut materias exponat de quibus in hac sessione disceptatio facienda est, nempe: 1) de canonibus praeliminaribus secundae schematis partis, 2) de Institutis monasticis.

Relator ergo per summa capita exponit quae habentur in pp. 1-3¹ et 8-12² Relationis introductivae (cf. Adnexum I), quam apparavit praे oculis habitis sive probatis in praecedenti Coetus plenarii sessione sive propositis in successivis adunationibus parvi Coetus Consultorum. Hac expositione facta, incipit disceptatio, ordine sequenti.

I. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS SECUNDÆ PARTIS

Omnes hi canones successive leguntur, et quaeritur a Relatore an quis animadversiones generales habeat proponendas.

Rev.mus primus Consultor quaerit ut hi canones ponantur inter cano-

¹ Cf. infra, pp. 236-238.

² Cf. infra, pp. 243-247.

nes praeliminares primae partis. Tota enim prima pars principia generalia continet introductiva ad partem secundam schematis.

In hac secunda parte schematis aptius ponendae videntur parvae introductiones ante singulos Titulos: de monachis, de religiosis, etc. Ad primam propositionem Rev.mi primi Consultoris respondent Rev.mi Relator et secundus Consultor hos canones praeliminares secundae partis amittere suum sensum si in prima parte ponantur, quia est in initio secundae partis schematis ubi oportet ut enuntientur propria natura et elementa immutabilia Institutorum; quoad secundam propositionem Rev.mi primi Consultoris, ipsa potius perpendenda videtur cum de singulis Titulis sermo fieri. His responsionibus alii accedunt Consultores.

Nulla alia animadversio generalis fit ad canones praeliminares, qua propter examini subiiciuntur singuli canones.

Can. I

Haec est formula proposita:

§ 1. Per multa in Ecclesia sunt Instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacientem, vel cum eis in saeculo conversantem.

§ 2. Mentre igitur fundatorum atque proposita Instituta fideliter servare debent, ideoque natura, finis et indoles necnon sanae traditiones, mutari nequeunt.

Quaerit Exc.mus tertius Consultor ut in § 1 sumantur verba «... vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem»; quae verba habentur in can. 4, Tit. VI, primae partis schematis. E contra Exc.mus quartus Consultor quaerit num haec repetitio in canone verborum Concilii sit opportuna.

Fit parva discussio de hac quaestione, cuius in fine omnibus placet ut verba § 1 formulae propositae maneant uti iacent.

Quaedam autem parvae emendationes ab Exc.mo quarto Consultore proponuntur, nempe: a) «Sunt in Ecclesia», loco «Per multa in Ecclesia sunt» (lin. 1); b) «variis Spiritus Sancti charismatibus ornata», loco «variis Spiritus charismatibus ornata»; c) «Christum enim peculiari ratione sequuntur», loco «Christum enim pressius sequuntur».

Fiunt suffragationes, quorum exitus est:

- a) Placet: 3; Non placet: 11
- b) Placet: 4; Non placet: 10
- c) Placet; 2; Non placet: 12.

Textus ergo § 1 non mutatur.

Quaestio simul ponitur de nova redactione canonis 4, Tit. VI primae partis. Ad mentem enim Exc.mi quarti et Rev.mi quinti Consultorum, textus ita abbreviari potest: «Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem»; cetera vero verba deleri possunt, quia necessaria non videntur. Obiicit tamen Rev.mus secundus Consultor repetitionem in hac materia non esse nocivam; praeterea in hoc canone 4 agitur de sodalibus Institutorum, dum in can. 1 praeliminari secundae partis sermo est de ipsis Institutis;

Exc.mus sextus Consultor proponit ut serventur etiam in canone 4 verba: «Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commostret».

Suffragationi ponitur propositio Exc.mi quarti et Rev.mi quinti Consultorum, et exitus suffragationis est:

Placet: 12

Non placet: 2.

Textus ergo emendatus can. 4, Tit. VI primae partis ita sonat:

«Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem».

Sequitur discussio canonis 1 praeliminaris secundae partis, et quidem § 2.

Exc.mus septimus Consultor censet canonem 2 exarandum esse ex confluentia can. 1, § 2 et can. 2, § 1. Animadvertisit tamen Rev.mus secundus Consultor materiam duorum canonum esse diversam, quia in can. 1 proposito sermo est de fidelitate servanda erga charismata fundationis (res spiritualis), dum in can. 2 agitur de modalitate qua fieri possunt eventuales mutationes in normis Institutorum (res iuridica). His dictis accedit Rev.mus quintus Consultor, qui proponit ut in hac § 2, lin. 3, dicatur «ab omnibus fideliter servari debent» loco «mutari nequeunt».

Exc.mus tertius et Rev.mus primus Consultores animadvertisunt quod

poni non deberent in eadem linea mens atque proposita Fundatorum (quae ostendunt naturam, finem et indolem institutorum) et sanae traditiones quae decursu temporis inductae sunt quaeque ob mutatas conditio-nes quandoque mutari possunt.

Rev.mus Secretarius memorat normas quae circa accommodatam renovationem Institutorum inveniuntur in Decr. *Perfectae caritatis* et in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, dum Rev.mus Relator animadvertisit mentem fundatorum non esse rem abstractam quia ipsa prostat in normis fundamentalibus ordinis spiritualis et disciplinaris.

His omnibus attentis sequens formula § 2 suffragationi submittitur:

«Fundatorum igitur mens atque proposita circa naturam, finem et indolem Instituti, necnon eius sanae traditiones, fideliter ab omnibus servanda sunt».

Exitus suffragationis est:

Placet: 9

Placet iuxta modum: 5

Non placet: 0.

En modi qui proponuntur et suffragantur:

Rev.mus octavus Consultor: dicatur «serventur» loco «servanda sunt» (Placet: 3; non placet: 11).

Rev.mus nonus Consultor: omittantur verba «necnon eius sanae traditiones» (Placet: 2; non placet: 12).

Rev.mus decimus Consultor: loco «mens» dicatur «mens et spiritus» (Placet: 1; non placet: 13).

Rev.mus undecimus Consultor: in fine § dicatur «fideliter servanda sunt», expunctis verbis «ab omnibus», quorum sensus non bene intelligi-tur (Placet 5; non placet: 9).

Rev.mus primus Consultor: dicatur «agnoscenda et servanda sunt» (Placet: 1; non placet: 13); ad mentem Concilii, addantur verba «quae In-stituti patrimonium constituunt» (Placet: 4; non placet: 10).

Modi ergo non recipiuntur, et textus § 2 manet uti approbatus est.

Denique Rev.mus duodecimus Consultor proponit ut in hoc canone 1 sequens § 3 addatur: «Si quae autem mutationes indigent eae ab Auctuosi-tate Apostolica postulentur». Haec tamen additio in can. 1 a ceteris Con-sultoribus non admittitur, quia iam in can. 2 statuuntur quae mutari pos-

sunt habito beneplacito Apostolicae Sedis (§ 1), et quae recognosci et aptari possunt ab ipsa Instituti auctoritate (§ 2).

Ita expletur disceptatio de can. 1 praeliminari, qui sub sequenti formula manet approbatus:

«§ 1. Per multa in Ecclesia sunt instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacentem, vel cum eis in saeculo conversantem.

§ 2. Fundatorum igitur mens atque proposita circa naturam, finem et indolem Instituti, necnon eius sanae traditiones fideliter ab omnibus servanda sunt ».

Can. 2

Hic est textus propositus:

«§ 1. Elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Instituti codice praecipuo, quocumque nomine veniat, sancienda sunt et, prout a competenti Ecclesiae Auctoritate approbata, absque eiusdem beneplacito mutari nequeunt.

§ 2. Ceterae normae ad Instituti vitam, regimen et disciplinam pertinentes a competenti eiusdem Instituti Auctoritate statuantur et apte colligantur, quae tamen iuxta ius particulare congrue recognosci et adaptari possunt atque debent ».

Exc.mus septimus Consultor sequentem formulam emendatam proponit § 1: Normae quae elementa fundamentalia respiciunt circa naturam, finem et indolem Instituti, in codice praecipuo colligantur». Huic propositioni accedit Exc.mus quartus Consultor qui tamen vult ut formula compleatur cum referentia ad sanas traditiones Institutorum.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit quod iuxta hanc § 1 illa tantum elementa fundamentalia quae respiciunt «naturam, finem et indolem» Instituti mutari possunt, cum beneplacito Apostolicae Sedis; omnia alia elementa libere mutari possunt, cum in prima parte nullibi praecipiatur ut «constitutiones» approbari debeat a Sancta Sede: ergo ferre omnia sunt reapse mutabilia a Capitulo Generali vel a Superioribus, quod confirmatur cum iis quae dicuntur in § 2. Proponit praeterea ut in lin. 2 deleantur verba «quocumque nomine veniant».

Rev.mus secundus Consultor notat difficile esse determinare elementa quae dicenda sunt «fundamentalia» vel «essentialia»; aptius ergo dicen-

dum videtur: « Normae quae respiciunt elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis... ».

Accedit Exc.mus septimus Consultor.

Rev.mus quintus Consultor servanda censet verba « quocumque nomine veniant», ne libertas institutorum praeiudicetur.

Fit adhuc parva discussio circa verbum « sancienda », sed plerisque Consultoribus placet ut maneat.

His omnibus pree oculis habitis, Rev.mus Relator sequentem formulam emendatam § 1 suffragationi submittit:

« Normae quae respiciunt elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Instituti codice preecipuo, quocumque nomine veniat, sanciendae sunt et, prout a competenti Ecclesiae Auctoritate approbatae, absque eiusdem beneplacito mutari nequeunt ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 12

Non placet: 1.

Quoad § 2, Rev.mo undecimo Consultori non placent verba « atque debent», in fine paragraphi posita, quia abusus dari possunt in interpretationibus: ex. gr. consuetudines legitime introductae sunt normae, et tamen statutis temporibus non necessarie mutari debent.

His dictis accedunt et alii Consultores, inter quos Rev.mi quintus, secundus et primus.

Exc.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « quae tamen, si Ecclesiae vel instituti necessitas vel utilitas postulat, ad normas iuris particularis congrue aptentur ».

Animadvertisit tamen Rev.mus quintus Consultor verbum « congrue » iuridice sufficere ad statuendum criterium mutationis. Eadem tenet sententiam Rev.mus secundus Consultor, qui postulat ut nihil addatur de « necessitate » aut « utilitate », quia haec criteria difficile statui possunt.

Rev.mus Relator, attentis quae dicta sunt, sequentem proponit formulam quae suffragatur: « quae tamen iuxta ius particulare congrue recognosci et aptari possunt ».

Exitus suffragationis est:

Placet: 10

Non placet: 3.

Rev.mus primus Consultor censet omittendum esse verbum « regimen » et forte etiam « vitam », secus fere omnia mutari possunt a solis capitulis

generalibus: ex. gr. regimen capitulare in non capitulare et e contra, vel substituere Superiorum per communitatem seu sic dictum «regimen communitarium», ut aliqui hodie volunt, etc.

Respondet tamen Rev.mus Relator hoc periculum dari non posse, quia praecise dicitur «ceterae normae»: ad significandum quod normae fundamentales seu praecipuae ad Instituti vitam, regimen et disciplinam pertinentes mutari non possunt absque beneplacito competentis Auctoritatis Ecclesiasticae, ut iam statutum est sub § 1. Haec est differentia fundamentalis inter codicem praecipuum (§ 1) et codices addictios, de quibus sub § 2.

His dictis et alii Consultores accedunt. Quapropter, nulla alia animadversione facta, sequens formula § 2 suffragationi submittitur:

«Ceterae normae ad Instituti vitam, regimen et disciplinam pertinentes a competenti eiusdem Instituti Auctoritate statuantur et apte colligantur, quae tamen iuxta ius particulare congrue recognosci et aptari possunt».

Hic textus ab omnibus approbatur.

Can. 3

Formula proposita ita sonat:

«In his textibus redigendis spiritualia et iuridica opportune coniungantur; normae tamen absque necessitate ne multiplicentur».

Exc.mus quartus Consultor: sequentem proponit textum emendatum qui tamen ceteris Consultoribus non placet: «Leges omnes quibus perfectionis Instituta reguntur, indolem spiritualem una cum iuridica redoleant, eaeque absque necessitate ne multiplicentur».

Exc.mus sextus Consultor, cui et Rev.mus nonus accedit, animadvertisit principia spiritualia exprimi debere modo iuridico; sumus in iure, ideoque spiritualia et iuridica non in eandem lineam sunt ponenda.

Rev.mus Relator memorat quae statuta sunt in M.P. *Ecclesiae Sanctae*, II, art. 13: «Utriusque elementi, spiritualis nempe et iuridici, unio necessaria est ut Institutorum codices praecipui stabile fundamentum habeant, eosque verus spiritus et norma vitalis pervadat; cavendum est igitur ne conficiatur textus vel tantum iuridicus vel mere exhortatorius».

Rev.mus undecimus Consultor quaerit ut dicatur «iuridica in principiis spiritualibus fundetur»; haec enim videtur mens Concilii et ipsius M.P. *Ecclesiae Sanctae*.

Rev.mus secundus Consultor proponit, et accipitur, sequentem emendationem: loco «coniungantur» dicatur «uniantur» cum referentia in notis ad M.P. *Ecclesiae Sanctae*, II, art. 13.

Textus ergo canonis qui suffragationi submittitur et unanimiter approbatur ita sonat:

«In his textibus redigendis spiritualia et iuridica opportune uniantur: normae tamen absque necessitate ne multiplicentur».

Ita expleta disceptatione de canonibus praeliminariis secundae partis, Rev.mus primus Consultor postulat ut in hoc loco, antequam de singulis formis Institutorum agatur, aliqua dicantur in genere *de religiosis* stricte dictis: qui sint; de eorum votis, maxime de effectibus iuridicis voti paupertatis (quoad possessionem et administrationem bonorum temporalium, enuntiationem talium bonorum, etc.); atque de vita communi. Ageretur plus minusve de his quae dicuntur in cann. 572-586 et cann. 592-631, quamvis non ad tam minuta descendatur. De his omnibus paucissime agitur in prima parte schematis, cum ibi sermo sit etiam de aliis sodalibus Institutorum perfectionis qui religiosi non sunt.

Haec propositio Rev.mi primi Consultoris quibusdam Consultoribus videtur bona. Alii tamen Consultores animadvertisunt etiam hos canones praeliminares secundae partis valere pro omnibus speciebus Institutorum perfectionis, sicut canones, sive praeliminares sive non, qui habentur in prima parte schematis.

Denique, antequam transitus fiat ad examen canonum Tituli I «De Institutis monasticis», Rev.mus Secretarius quaerit an Consultores animadversiones faciendas habeant ad textum Relationis conclusivae praecedentis Coetus sessionis, quae fuit Sessio XII^a.

Nulla fit animadversio, et Relatio suffragatur et probatur ab unanimitate.

II. DE INSTITUTIS MONASTICIS

A) Art. Primus: *De monachis*

Praecipua elementa quae in his canonibus continentur a Relatore expoununtur una cum rationibus propositae divisionis in Articulos. Omnia haec in Relatione introductory inveniuntur (cf. Adnexum I, pp. 8-12).¹

En animadversiones generales quae a Consultoribus factae sunt, ante disceptationem de singulis canonibus huius Tit. I secundae schematis partis.

Rev.mus duodecimus Consultor notat nullum praescriptum in canonis-

¹ Cf. infra, pp. 243-247.

bus de monachis adesse de stabilitate seu de perpetua monachorum adscriptione ad monasterium.

Respondet tamen Rev.mus Relator hanc esse rem internam de qua potius agendum est in iure particulari Institutorum.

Quaerit Exc.mus quartus Consultor an prae oculis habitae sint quaestiones positae a Rev.mo Abbe primate O.S.B. in suis litteris die 1 martii 1972. Affirmative respondet Rev.mus Relator, qui tamen quaerit sententias Consultorum quoad possibilitatem praemittendi duabus articulis huius Tituli canonem in quo definitio detur monachi. Animadvertisit praetere a ipse Relator quaedam elementa substantialia huius definitionis iam inveniri sub can. 2 in Sessione 2^a approbato.

Exc.mus tertius Consultor dicit se hanc propositionem recipere atque in genere sibi placere § 1 memorati canonis, qui textus ita sonat:

« Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas, morum conversione vitam vel anachoreticam vel coenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat ».

Dictis ab Exc.mo tertio accedunt Exc.mi sextus et septimus, atque Rev.mi nonus et decimus Consultores.

Aptius videtur definitio — ait Exc.mus quartus Consultor — quia agitur de quaestione sat disputata; si tamen aliqua definitio seu descriptio monachi detur, ipsa circumscribi vel limitari non debet ad vitam tantum contemplativam; praeterea prae oculis habendae sunt etiam recentiores forme vitae monasticae.

Rev.mus Secretarius memorat definitionem monachi quae habetur in CICO parum dicere; considerandum praeterea videtur quod in novo CIC forsan titulus specialis de verborum significatione ponendus sit; attamen in isto titulo quaestio potius erit de usu verborum quam de definitionibus proprie dictis.

Censem Rev.mus primus Consultor quod si aliqua definitio ipsa ponenda esset in canonibus praeliminaribus secundae partis schematis ita ut comprehendat sive monachos sive etiam religiosos vitae contemplative.

Rev.mus undecimus Consultor qui concordat cum dictis ab Exc.mo tertio Consultore, putat utile esse dare definitionem seu notionem monachi iuxta elementa memorati can. 2, § 1 Sessionis secundae, quae elementa ab omnibus monachis accipi possunt; immo verba « secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas » non claudunt ianuas ad possibilitatem condendi novas formas Institutorum vitae monasticae.

His dictis ab Exc.mo tertio et Rev.mo undecimo accedunt quoque Rev.mi quintus et secundus Consultores. Iste tamen duo animadvertisit: 1) vita anachoretica datur quidem in monachismo, saltem ad tempus vel pro quibusdam monachis, sed excludendum non videtur ut aliae habeantur formae vitae anachoreticae vel eremiticae etiam pro ceteris speciebus Institutorum perfectionis, immo et in personis singularibus quae vocacionem monasticam non habent; 2) praedictus textus can. 2, § 1 sumptus est longa maioritate in elapso Congressu Abbatum O.S.B., attamen quaeradum persentita est difficultas quoad verba a Rev.mo undecimo Consultore antea citata, nempe «secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas».

Animadvertisit Rev.mus undecimus Consultor quod haec difficultas tantum fuit relate ad possibiliterem servandi has formas etiam in regionibus missionis. Praeterea — adiungit Exc.mus tertius Consultor — notandum est professionem primaevam semper factam fuisse attentis adiunctis concretis ordinis culturalis et socialis, quod valet etiam nunc, et quidem in regionibus missionis.

Etiam Ill.mus tertius decimus Consultor dicit se esse in favorem propositae definitionis monachi, quia sive «monachus» sive «vita monastica» sunt res et locutiones valde specificae et peculiares, quod etiam persentitur in communi forma loquendi populi christiani.

Cum ergo fere omnes Consultores existimarent definitionem seu notio-nem monachi esse ponendam, iuxta textum § 1 can. 2 in secunda Coetus Sessione probatum, Rev.mus Relator postulat ut animadversiones concre-tae fiant ad supradictum textum.

Exc.mus tertius Consultor quaerit ut dicatur: «secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas, adiunctis locorum aptatas, morum...».

Notat Rev.mus undecimus Consultor accommodationem quae quibus-dam in locis hodie fit ad formas vitae monachorum non christianorum fundamentum habere in similitudine harum formarum cum primaevis for-mis monachismi christiani.

Animadvertisit tamen Rev.mus nonus Consultor, praebens quaedam exempla, quod haec accommodatio seu aptatio ad formas vitae ex. gr. mo-nachorum hinduistarum, locum saepe dat ad deprecatas confusiones, sive inter fideles sive etiam inter paganos.

His prae oculis habitis, aliae formulae emendatae proponuntur, nem-pe: «... traditas, ad hodiernas condiciones aliquantum aptandas» (duode-cimus Consultor); «... traditas, temporum vel locorum exigentii forte ac-commodandas» (quartus decimus Consultor); «... proprias et antiquas

traditiones...» (primus Consultor); «... proprias traditiones» (secundus Consultor); «... proprias Instituti traditiones» (tertius Consultor).

Haec ultima formula magis placet. Praeterea notatur non esse necessarium, quia subintelligitur, ut explicite in definitione monachi sermo fiat de professione consiliorum evangelicorum: hoc est enim elementum genericum et commune omnium Institutorum perfectionis (secundus et quartus decimus Consultores). Quoad vitam anachoreticam vel coenobiticam, videtur conveniens ut haec verba serventur, quia hic agitur de vita anachoretica ex instituto ordinata (Relator).

Formula ergo huius canonis 1, quae denique suffragationi submittitur est sequens:

«Nomine monachi venit religiosus qui, secundum proprias Instituti traditiones, morum conversionem vitam vel anachoreticam vel coenobiticam dicit in opere Dei et in labore, ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat».

Exitus suffragationis hic est:

Placet: 12

Non placet: 2.

Can. 1 (nunc can. 2)

Textus a Relatore propositus ita sonat:

«§ 1. Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur paeclarlam in Christi Corpore mystico partem semper retinent et Ecclesiam arcana foecunditate ditant; ideo, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, in suo statu firmiter permaneant.

§ 2. Instituta autem quae aliqua apostolatus vel christianaee caritatis opera assumpserint, iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sint.

§ 3. Instituta monastica per se nec clericalia nec laicalia sunt».

Quaod § 1, animadvertunt quidam Consultores (primus, decimus et alii) Instituta religiosa adesse quae integre ad contemplationem dedicantur et tamen non sunt Instituta monastica.

Respondet Rev.mus quintus Consultor hoc in formula proposita non excludi; in canone enim fit tantum distinctio inter Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur et alia Instituta monastica.

Rev.mus decimus Consultor proponit ut, in lin. 4, dicatur «fideliter» loco «firmiter», dum Rev.mus undecimus Consultor existimat verbum «firmiter» non esse necessarium.

Plerisque autem Consultoribus placet ut textus maneat uti est.

Additio proponitur ab Exc.mo sexto Consultore, in fine huius paragaphi, nempe: «... in suo statu, ab omnibus christifidelibus maxime aestimando, firmiter permaneant». Arguit enim Exc.mus fideles non bene instructos esse, praesertim nostris temporibus, de valore et utilitate ecclesiali vitae quae integre ad contemplationem seu orationem dedicatur, neque de necessitatibus materialibus monasteriorum, quae saepe maxima indigentia laborant.

Cum his dictis omnes concordant Consultores, sed eorum maiori parti placet ut de hoc sermo potius fiat in aliquo canone generali qui omnibus religiosis applicari valeat.

Nulla alia fit animadversio, ideoque § 1 approbatur uti propositus est.

Quoad § 2, Exc.mus tertius Consultor dicit se approbare textum propositum; quaedam autem expressiones quae habentur in Relatione introductiva quaeque hunc textum § 2 commentantur Exc.mo non placent, quia forma magis positiva exarari possent; assumptio enim quorundam operum apostolicorum ex parte alicuius Instituti monastici etiam rationibus historicis nititur, neque res tam exceptionalis censenda videtur etsi abusus quidam vitari debent.

Respondeat Rev.mus Relator verba Relationis introductoryae valorem tantum habere commentarii personalis.

Quaerit Rev.mus undecimus Consultor ut, in lin. 1, deleatur verbum «aliqua», quia si haec opera sint consentanea cum vita monastica possunt esse multa.

Aliis vero Consultoribus magis placet ut hoc verbum maneat, quia habetur etiam in textu conciliari.

Periculum abusus — ait Rev.mus primus Consultor — potius quam in operibus Instituti haberri potest in activitatibus personalibus monachorum.

His dictis accedunt Consultores, etsi in can. 2 proposito aliquod criterium habetur ad § 2 canonis 1 recte interpretandum. Tandem, proponente Rev.mo Relatore omnibus placet ut, in lin. 2, sequens fiat additio: «opera legitime assumperint...».

Quoad § 3, Rev.mus primus Consultor censet hanc formulam minus aptam esse ad finem qui intenditur. Quod intenditur est ut monachi non sacerdotes habeant eadem iura et obligationes quam monachi sacerdotes,

idest ut sint monachi pleno iure, et accedere possint ad omnia munera, forsan etiam abbatis, in monasterio, quod usque nunc impossibile est vi can. 118; atque etiam ut vocem activam et passivam in capitulis habere possint, quod hucusque fieri non potest, vi can. 501 collati cum can. 118. Ideo postulatum fuit ut Instituta monachalia (etiamsi maior et potior pars monachorum sit composita ex sacerdotibus) non dicantur clericalia, nam condicio monastica independens est a sacerdotio. Haec difficultas obviata fuit a Concilio in Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 15, in fine. Si praescriptio can. 118 non sustinetur in novo CIC, difficultas fere evanescit, sed formulatio huius § 3 non videtur satis apta ad hoc dicendum. Ideo Rev.mo magis placeret aliqua alia formula quae accederet ad verba Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 15, in fine; vel saltem ut in fine § 3 haec verba addantur: «... ita ut tum sacerdotes tum laici eadem iura et obligationes habeant, salvis quae ex Ordine sacro proveniunt».

Ceteri autem Consultores censem expectanda esse studia quae in alio Coetu peraguntur quoad doctrinam can. 118. Interim approbatur ut § 3 maneat uti proposita est a Relatore.

Textus ergo huius canonis ita sonat post habitam disceptationem:

«§ 1. Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur praeclaram in Christi Corpore mystico partem semper retinent et Ecclesiam arcana foecunditate ditant; ideo, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, in suo statu firmiter permaneant.

§ 2. Instituta autem quae aliqua apostolatus vel christiana caritatis opera legitime assumpserint, iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sint.

§ 3. Instituta monastica per se nec clericalia nec laicalia sunt».

Can. 2 (nunc can. 3)

En textus propositus:

«Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium intra septa monasterii praestare».

Exc.mo tertio Consultori placet textus, etsi in n. 9 Decr. *Perfectae Caritatis* latius patet in quo consistat hoc praecipuum officium monachorum; quaestio moveri potest de aptiore loco in quo hic canon ponendus sit.

Quaerunt Exc.mus sextus et Rev.mus nonus Consultores quare adhibentur verba «praecipuum officium», cum de facto hodie multi monachi extra septa monasterii degunt in opera apostolatus incumbentes.

Respondet Relator quod praecipuum officium monachorum, nempe laus Deo certissime intra septa monasterii peragitur, etiam in Institutis monasticis quae opera apostolica, habent. Omnia praeterea Instituta monastica sunt essentialiter contemplativa, hoc est fundamentale elementum quod pro omnibus valet Institutis, dum opera apostolica non pro omnibus sunt necessaria.

Difficultas vitari potest — ait Exc.mus tertius Consultor — si dicatur «Omnium monachorum praecipuum officium...» et simul adduntur in fine textus verba Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9: «... septa monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent sive aliqua apostolatus vel christiana caritatis opera legitime assumpserint».

Rev.mus undecimus Consultor censet hanc additionem, immo totum textum huius canonis non esse necessaria, quia omnia haec dicta iam sunt in duobus canonibus praecedentibus. Notat praeterea quod in regula S. Benedicti verba «intra septa monasterii» adhibentur tantum pro coenobitis. Ceteri autem Consultores postulant ut textus canonis servetur, quia revera omnes monachi sunt concordes in eo quod eorum praecipuum officium est laus Deo, et quidem «intra septa monasterii» nempe uti officium communitarium; quaestio potius ponitur quoad opera apostolica, intra septa vel extra septa monasterii peragenda (secundus Consultor); textus praeterea utilis erit ad impediendas rerum eversiones quae darentur ob oblivionem vel minus valorizationem huius praecipui officii monachorum (quintus et alii Consultores).

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut hic textus ante canonem praecedentem ponatur. Huic propositioni accedunt Exc.mi tertius et quartus Consultores. Omnes tamen admittunt quod de toto ordine canonum in fine sessionis agatur.

Nulla alia fit animadversio. Quapropter textus huius canonis suffragationi submittitur uti propositus est.

En exitus suffragationis:

Placet: 5

Placet iuxta modum: 7

Non placet: 1.

Cum «modi» omnes sint in favorem additionis verbi «omnium», initio, ad mentem Exc.mi tertii Consultoris, suffragatur hic modus. Hic est exitus suffragationis:

Placet: 9 – Non placet: 4.

Probatur ergo textus canonis cum hac additione, sed tantum modo provisorio: quia, uti animadvertis ipse Exc.mus tertius Consultor hoc pendet a loco ubi ponendus sit canon; si enim ponatur uti can. 2 tunc additio necessaria non esset.

Can. 3 (nunc can. 4)

Haec est formula in Relatione introductiva proposita:

«§ 1. Monasterium appellatur domus religiosa in qua monachorum vita peragitur sub moderamine et cura Abbatis qui iure est moderator maior.

§ 2. Quodlibet monasterium est sui iuris nisi aliter iure particulari expresse caveatur».

Animadvertis ipse Exc.mus tertius, cui accedunt Rev.mus primus et alii Consultores, monasteria sui iuris adesse quae sunt sub moderamine Prioris, non Abbatis.

Exc.mus quartus Consultor ponit quaestionem de numero monachorum qui requiritur ad efformandum monasterium. Etsi haec videatur res vario modo definienda in iure particulari, forsitan utile esset ut aliqua norma generalis detur in Codice. Idem sentiunt alii Consultores in mentem adstantium revocantes abusus qui hodie dantur: sunt, ex. gr., religiosi, qui vivunt in parvis dormibus («appartamenti»), quique sive ob eorum parvum numerum (saepe tres tantum religiosi) sive etiam ob alia adjuncta, domum religiosam revera non constituunt. Immo Episcopi et Provinciales aliquando nesciunt ubi sint religiosi.

Cum agatur tamen de quaestione quae respicit non tantum monachos, Rev.mus Relator proponit, et accipitur, ut quaestio pertractetur in canonibus ubi agatur de domo religiosa. Exc.mus vero tertius Consultor quaerit ut saltem dicatur in canone nostro monasterium appellari «domus religiosa (formata)».

His omnibus attentis, Rev.mus Relator sequentem proponit formulam canonis emendatam:

«§ 1. Monasterium appellatur domus religiosa formata (vel: ‘ad normam iuris particularis erecta’) in qua monachorum vita peragitur sub regimine proprii moderatoris.

§ 2. Quodlibet monasterium est sui iuris ad normam iuris particularis.

§ 3. Moderator monasterii sui iuris, qui Abbas vel Prior vocatur, est moderator maior».

Exc.mus tertius et Rev.mus duodecimus Consultores proponunt ut § 2 redigatur attento canone 313, § 2, b C.I.C.O., qui ita sonat: «Monasterium dicitur *sui iuris*, cuius Superiori iura et obligationes Superioris maioris, ad normam canonum et statutorum, competunt; cetera monasteria, dependentia: quorum quaedam sunt *filialia*, quae tendunt ad conditionem monasterii sui iuris, alia *subsidiaria*».

Respondet tamen Rev.mus Relator eas esse res nimis particulares pro iure communi.

Quaerit Rev.mus undecimus Consultor, et accipitur, ut in § 1 deleatur verbum «*Quodlibet*».

Rev.mus quintus Consultor, cui accedit Rev.mus primus, proponit ut §§ 1 et 2 in unum redigantur, sub sequenti formula:

«§ 1. Monasterium appellatur domus religiosa formata monachorum sub proprii moderatoris regimine et cura; quod monasterium est de se sui iuris servato tamen iure particulari.

§ 2. Monasterii sui iuris moderator est de iure moderator maior».

Ad mentem Rev.mi primi Consultoris addi deberet quod Superior maior habet iurisdictionem in foro externo et interno. Hucusque eam habebant quia omnia Instituta monastica erant clericalia ad normam iuris. Cum, tamen, iuxta probatum can. 1, § 3, non amplius sint clericalia, tallem iurisdictionem non haberent neque ipsi Abbates, etiamsi iure particulari exigeretur ut semper essent sacerdotes.

Fit parva discussio de hac quaestione, cuius in fine, proponentibus Rev.mis quinto et secundo Consultoribus, approbatur ut nihil in canone addatur dum studia pro can. 118 revisendo peraguntur. Sumus enim in principio generalissimo ordinationis potestatis in Ecclesia, quod hic solvi non potest, etiamsi mens nostri Coetus sit in favorem propositionis Rev.mi primi Consultoris.

Nulla alia animadversio fit. Quapropter Relator, ad mentem propositionis factae a Rev.mo quinto Consultore, sequentem novum textum canonis suffragationi ponit:

«§ 1. Domus religiosa monachorum sub proprii moderatoris regimine et cura, quae monasterium appellatur, est de se sui iuris, servato tamen iure particulari.

§ 2. Monasterii sui iuris moderator, qui plerumque nomine Abbatis venit, est de iure moderator maior».

Textus hic unanimiter approbatur.

Can. 4 (nunc can. 5)

Formula quae proponitur est:

«§ 1. Monasteria sui iuris, dummodo sint eiusdem familiae monasticae in foederationes, hae vero in confoederationes, uniri possunt cum beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 2. Quae foederationes et confoederationes proprio reguntur iure, salva tamen semper monasteriorum autonomia».

Animadvertisit Exc.mus sextus Consultor quod nullibi dicitur quid sint foederationes et confoederationes. Respondet Rev.mus Secretarius haec esse verba quae prima vice adhibentur in legislatione canonica; earum autem definitio seu notio multum pendet a traditionibus, usibus, etc.

Rev.mus primus Consultor proponit ut deleanor, in § 1, verba «dummodo sint», quia quandoque dubitari potest an monasteria considerari debeat eiusdem familiae monasticae. Item censem alii Consultores, inter quos Rev.mi duodecimus et undecimus. Iste praeterea censem melius esse dicendum, in lin. 2 eiusdem § 1, «in confoederationem», ne foveantur divisiones in sinu eiusdem familiae.

Rev.mus secundus Consultor quaerit ut in § 1 lin. 1 deleanor verba «sui iuris», dum Rev.mus quintus Consultor ita emendandam esse censem § 1 in initio: «Quaelibet foederatio aut confoederatio proprio regitur iure...».

His omnibus attentis, Relator hanc proponit formulam canonis emendatam, quae probatur ab omnibus:

«§ 1. Monasteria eiusdem familiae monasticae in foederationes, hae vero in confoederationem, uniri possunt cum beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 2. Quaelibet foederatio aut confoederatio proprio regitur iure, salva tamen semper monasteriorum autonomia».

Can. 5 (nunc can. 6)

En textus propositus:

«Instituta propriam de sodalium tam monastica quam sacerdotali institutione rationem habeant iure particulari statutam».

Nulla animadversio fit, et textus ab omnibus probatur ut iacet.

Can. 6 (nunc can. 7)

Formula proposita ita sonat:

« Professio monastica obligationem secumfert tria evangelica consilia observandi voto firmatam, cui praecedere debet cooptatio temporaria ad normam can. 2 » (in Sessione IX^a approbat).¹

Notat Rev.mus quintus, cui ceteri Consultores accedunt, hunc canonem superfluum esse, quia nihil addit ad obligationem profitendi tria consilia evangelica, de qua sermo iam est in canonibus generalibus. Hic ergo canon, facta suffragatione, deletur.

Can. 7. (nunc can. 8)

En textus propositus:

« § 1. Transitus ab uno monasterio sui iuris ad aliud eiusdem familiae monasticae fieri potest de consensu utriusque Abbatis cum voto deliberativo proprii consilii, salvo semper iure particulari.

§ 2. Ceteri transitus monachorum iure communi reguntur ».

Quoad § 1, animadvertisit Exc.mus tertius Consultor in lege generali esse ponendum quod magis est commune: cum vero generaliter non requiratur votum deliberativum capituli monasterii *a quo*, aptius videtur dicendum: « de consensu utriusque Abbatis, cum voto deliberativo capituli monasterii ad quod, salvo semper iure particulari ». His dictis accedit Rev.mus undecimus Consultor, qui etiam proponit ut hoc in canone sermo fiat de moderatore loco Abbatis.

Alia difficultas notatur in verbis « eiusdem familiae monasticae ». Rev.mus undecimus Consultor proponit ut adhibeantur locutiones « foederatio » aut « confoederatio », vel simpliciter dicatur « transitus ad aliud monasterium ». Ad mentem tamen Rev.mi secundi Consultoris, difficultas solveretur per verba: « ad aliud eiusdem regulae vel familiae monasticae ».

Demum Rev.mi undecimus et primus Consultores quaestionem ponent de iteranda aut non iteranda professione monastica quando transitus fit ab uno ad aliud monasterium eiusdem regulae vel familiae. De se monasterium sui iuris est quasi Institutum autonomum, et professio secumfert saltem votum oboedientiae Superiori huius monasterii; ergo cum monachus transit ad aliud monasterium, per se deberet iterare professionem vel ratam habere professionem antiquam quae acceptaretur a novo monasterio.

¹ Cf. *Communicationes*, XXVI, 1994, 214.

Attamen cum id repugnet monachis, quia professio monastica de se semel pro semper fit, bene intelligitur quod non exigatur iteratio professionis.

His dictis prae oculis habitis, Rev.mus secundus, cui accedunt et Rev.mi undecimus et quintus decimus Consultores, proponit ut in fine § 1 addatur: «professio autem monastica non iteratur». Animadvertisit vero Rev.mus quintus Consultor itemque notat Exc.mus tertius regulas monasticas esse inter se valde diversas. Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus Secretarius dicunt se exoptare ut haec quaestio de iteratione professionis iuri particulari relinquatur foederationis aut confoederationis.

Fit adhuc parva discussio de hac re, et tandem Rev.mus Relator, omnibus perpensis, sequentem novam formulam § 1 suffragationi submittit:

«§ 1. I^o Transitus a monasterio ad aliud eiusdem familiae vel regulae monasticae fieri potest de consensu utriusque moderatoris cum voto deliberativo capituli monasterii recipientis, salvo semper iure particulari.

2^o Professio tamen monastica non iteratur, nisi aliud iure particulari expresse caveatur».

Facta suffragatione, hic textus ab omnibus recipitur.

Quoad § 2, nulla habetur animadversio, ideoque textus approbatur uti propositus est.

Transitus ergo fit ad examen canonum de monialibus.

B) Art. Secundus: *De monialibus*

Quaeritur imprimis an animadversiones generales facienda habeantur.

Rev.mus quintus decimus Consultor animadvertisit Decretum *Perfectae Caritatis*, n. 16, duo genera monialium contemplari: quae nempe ad contemplationem plene sunt deditae et quae ex instituto operibus apostolatus dedicantur. Oporteret ergo ut etiam in can. 8 proposito haec fiat distinctio per duas §§ diversas, uti factum iam est pro monachis sub can. 2.

Obiicit tamen Rev.mus Relator, cui accedit Exc.mus quartus Consultor, in recentioribus documentis Sanctae Sedis statutum esse quod Instituta monialium stricte contemplativa si mutari exoptant in Instituta operibus apostolatus dicata relinquere debent vota solemnia et clausuram papalem: tunc vero nulla videtur differentia inter haec Instituta et Instituta religiosa apostolica. Dubitat vero Rev.mus quintus decimus Consultor de possibiliitate mutandi terminologiam etiam a Concilio sancitam; praeterea Instituta monialium quae operibus apostolatus dicantur sunt revera Instituta monastica non tantum de nomine sed etiam ex regula et spiritu.

Quoad terminologiam animadvertisit Rev.mus quintus Consultor Concilium eam statuere non voluisse, sed terminos sumpsisse ex praecedenti nomenclatura quae in Codice habebatur; moniales ergo censebantur religiosae quae vota solemnia et clausuram papalem habebant: si ergo haec elementa substantialia mutantur nihil impedit quominus etiam terminologia in novo Codice mutetur. Quapropter ad mentem Rev.mi quinti Consultoris viae ad hanc quaestionem solvendam videntur esse duae:

- a) totalis assimilatio legislationis de monialibus ad legislationem de monachis, et tunc sufficeret ut duo tantum habeantur canones, ubi ponantur quae proposita sunt in can. 8, § 2 atque in can. 10;
- b) mutatio terminologiae ita ut in futuro moniales tantum dicendae sint quae integre vitae contemplativae dedicantur.

Rev.mus quintus decimus Consultor adhaeret ad primam propositiōnem a), quia — dicit — in Concilio nullum habebatur dubium relate ad condicionem monasticam earum monialium quae opera apostolica assumunt; quaestio fuit de mutatione clausurae papalis in clausura minori, ut istae moniales in huiusmodi opera apostolatus imcumbere possint. Etiam Rev.mus undecimus Consultor ad primam propositionem adhaeret, memorans verba « secundum proprii Instituti traditiones » pro monachis iam approbata valere quoque pro monialibus.

Ceteris autem Consultoribus, Rev.mo quinto non excepto, magis placet secunda propositio b), etiam quia de votis solemnibus quaestio non est facienda in iure communi, ideoque nullum amplius habetur elementum qualificans pro monialibus nisi vita unice contemplationi dicata.

Duae ergo propositiones subordinatae Rev.mi quinti Consultoris suffragationi submittuntur. En exitus suffragationis:

Placet propositio a): 2.

Placet propositio b): 11.

Transitus denique fit ad examen singulorum canonum huius Articuli.

Can. 8 (nunc can. 9)

Textus propositus ita sonat:

« § 1. Moniales, illustrior portio gregis Christi, in iure veniunt quae unice vitae contemplativae dedicantur.

§ 2. Quae sunt de monachis statuta pari iure monialibus applicantur ».

Proponit Rev.mus secundus Consultor ut in § 1 dicatur «quae ex instituto vitae contemplativae dedicantur» loco «quae unice vitae contemplativae dedicantur».

Rev.mus Relator suffragationi ponit hanc propositionem. Intelligitur — ait Rev.mus — quod potest haberi «ex instituto» vita contemplativa plena vel minus plena: res pendet a iure particulari. Substantialiter ergo legislatio de monialibus maneret sicut legislatio de monachis. Cum hac mente fit suffragatio cuius exitus est:

Placet 12

Non placet: 1.

Ratio suffragii negativi Rev.mi quinti decimi Consultoris est quod in n. 16 Decr. *Perfectae Caritatis* verba «ex instituto» applicantur e contra ad moniales quae operibus apostolatus addicuntur. Adiungit praeterea Rev.mus utile ac necessarium forsitan esse scire quid ipsae moniales de hac re sentiant ac velint.

Ad § 2 canonis nulla fit animadversio.

Textus ergo huius canonis ita manet probatus:

«§ 1. Moniales, illustrior portio gregis Christi, in iure veniunt quae ex instituto vitae contemplativae dedicantur.

§ 2. Quae sunt de monachis statuta pari iure monialibus applicantur».

Can. 9 (nunc can. 10)

En formula a Relatore proposita:

«Monasteria monialium sui iuris sunt et, quamvis cuidam virorum Ordini consociata, habeant vitae rationem et regimen proprium, iuxta statuta. Expedit tamen ut ab Ordine cui consociantur spirituali cura adiuventur ad propriam vocationem (perfectius) prosequandam».

Rev.mus secundus Consultor quaerit ut, in initio, ita emendetur textus: «Monasteria monialium cuidam virorum Ordini consociata...»; deinde vero forma redactionis adhibeatur quae non sit optativa.

Rev.mo quinto Consultori placet textus. Animadvertisit tamen sibi non placere affirmationes quasdam quae fiunt in notis Relationis introductoryae ad hunc canonem. Quaedam enim vincula iuridica possunt haberi inter haec monasteria monialium, etiam sui iuris, et Ordinem virorum cui consociantur. Non imponentur utique haec vincula, sed subsistere vel institui

possunt, etiam quia cura spiritualis monialium fovetur si fiat cum aliqua auctoritate.

His prae oculis habitis, Rev.mus Relator sequentem formulam emendatam canonis suffragationi submittit:

«Monasteria monialium cuidam virorum Ordini consociata vitae rationem et regimen proprium iuxta sua statuta obtinent. Expedit tamen ut ab Ordine cui consociantur spirituali cura adiuventur ad propriam vocacionem prosequendam».

Exitus suffragationis est:

Placet: 11

Placet i.m.: 1

Non placet: 1.

Modus propositus a Rev.mo quinto decimo Consultore est ut maneat in textu verbum «quamvis» «quamvis cuidam virorum Ordini consociata...». Propositio tamen a ceteris non recipitur.

Can. 10 (nunc can. 11)

Textus qui propositus est ita sonat:

«§ 1. Clausura papalis in monasteriis monialum quae vitae unice contemplativae vacant servanda est.

§ 2. Statuta clausuram papalem spectantia a iure particulari determinata a Sede Apostolica probanda sunt».

Ad § 1 animadvertisit Rev.mus primus Consultor quod, ad mentem can. 8, § 1 non omnes moniales *unice* ad vitam contemplativam dedicantur, quapropter oporteret aliquid dicere de clausura aliarum monialium.

Mens Concilii est — ait Rev.mus quintus Consultor — ut clausura papalis reservetur tantum pro monialibus unice contemplativis; ceterae habere debent clausuram in constitutionibus definiendam, de qua ergo nihil videtur dicendum in canone. Animadvertisit tamen Exc.mus tertius Consultor definitionem talis clausurae in iure particulari fieri debere iuxta determinatas normas, a Sancta Sede probandas, ne clausura et vita contemplativa paulatim deperdantur.

His dictis accedit Rev.mus quintus Consultor qui proponit ut fiat § 3 sequentis tenoris: «Cetera monasteria clausuram propriae indoli accommodatam et iure particulari definitam servent». Haec additio omnibus

placet, quapropter sequens textus canonis suffragatur et unanimiter approbatur:

«§ 1. Clausura papalis in monasteriis monialium quae vitae unice contemplative vacant servanda est.

§ 2. Statuta clausuram papalem spectantia a iure particulari determinata a Sede Apostolica probanda sunt.

§ 3. Cetera monasteria clausuram propriae indoli accommodatam et iure particulari definitam servent».

Quoad quaestionem denique de ordine canonum, placet omnibus ut canon novus ubi datur definitio seu notio monachi, ponatur tamquam can. 1 ante Articulum Primum; deinde venire debent can. 2 (expuncto verbo «omnium»); can. 1, qui nunc fit can. 3, can. 4, etc. Schema ergo huius tituli primi secundae partis manet approbatum uti prostat in Adnexo II.

Ita expleta disceptatione de his quae in hac Sessione pertractanda erant, preces de more dicuntur et finis laboribus imponitur.

Romae, 29 aprilis 1972

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I**RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA PRIMA**

*De canonibus praeliminaribus secundae partis Schematis Generalis
necnon de Institutis Monasticis*

**I. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS SECUNDAE PARTIS
SCHEMATICIS GENERALIS**

1. Diligenter perpensis, excussis, emendatis et approbatis canonibus praeliminaribus Schematis Generalis legislationis: « De Institutis Perfecti-
nis » a Relatore propositis, Rev.mi Consultores nostri Coetus Studiorum,
in fine praecedentis sessionis, diebus 22-27 mensis novembris anni 1971
habitae, initium dederunt examini canonum praeliminarii secundae par-
tis Schematis Generalis, quae agit de iis quae singulis Institutorum generi-
bus sunt propria. Cum tamen tempus tunc non suppeteret procedendi ad
examen textuum, Consultores, ita proponente E.mo Commissionis Praesi-
de, animadversiones quasdam indolis tantum generalis proposuerunt.
Huiusmodi canones praeliminares secundae partis, qui tres enumerantur,
omnibus Consultoribus quoad substantiam placuerunt. Quaedam emen-
dationes et mutationes propositae sunt quae maioris momenti dici non
possunt. Concordes tamen fuerunt Consultores in commendanda nova re-
visione horum canonum ex parte Relatoris et Consultorum parvi Coetus.
Tunc Rev.mus Secretarius Commissionis, petente Relatore, omnes Consul-
tores invitavit ut proprias observationes, animadversiones et commentaria
tam quoad hos canones praeliminares secundae partis quam quoad schema
canonum prima vice propositum « De Institutis Monasticis » in scriptis
mittere vellent eidem Secretario vel Relatori non ultra medietatem proximi
mensis ianuarii anni 1972. Duo tantum Consultores suas miserunt obser-
vationes. Deinde canones praeliminares huius partis, attentis emendationi-
bus a dictis Consultoribus propositis, iterum examini Consultorum parvi
Coetus subiecti sunt et in formulatione quae nunc proponitur approbati.

2. In praecedenti Relatione Introductiva sufficienter exposui motiva
opportunitatis quae induxerunt me ad hos tres canones tamquam praelimi-
nares parti secundae proponendos (cf. Relationem Introductivam Deci-
mam, III. « De canonibus praeliminaribus secundae partis », n. 25-26).¹ Si-

¹ Cf. supra, pp. 167-168.

cut canones praeliminares totius legislationis Instituta perfectionis eorumque sodales respicientis, ita etiam canones praeliminares secundae partis Schematis Generalis indolis universalis esse debent. Etenim tam primi quam alteri praescripta continere debent quae omnibus perfectionis Institutis applicabilia sint. Item dictum est in praecedenti Relatione Introductiva quodlibet Institutum in Ecclesia ortum proprium habere charisma et propriam gratiam seu vocationem quae desuper data sunt (cf. *ibid.*, n. 26). Opportunum ideo videtur in mentem omnium quorum interest hanc veritatem revocare — praesertim nostris temporibus quando mutationes etiam periculose leviter in Institutis perfectionis inducuntur — ut probe agnoscatur actio Spiritus Sancti in fundatione cuiusque instituti et in eius distinctione ab omnibus aliis. Non est igitur in libertate sodalium vel moderatorum Instituti essentiam eius mutare. Et de hoc cavet primus canon praeliminarius secundae partis Schematis Generalis.

3. Iuxta principia directiva ab hoc Coetu Studiorum suo tempore approbata, ius commune quod Instituta perfectionis eorumque sodales respicit continere debet normas tantum universaliores et magis flexibles ita ut debita libertas singulis Institutis relinquatur proprium ius particulare formulandi eorum naturae, indoli, fini et exigentiis magis accommodatum. Principium subsidiarietatis in efformandis canonibus primae partis Schematis Generalis liberaliter applicandum est. Haec norma directiva valet quoque pro secunda parte Schematis. Immo, cum hic Coetus Studiorum proponere debet Legislatori normas quae unicuique categoriae Institutorum perfectionis universim aptandae sunt, magna cura est adhibenda ut praescripta talia seligantur quae faciliter et absque ullo damno ab omnibus Institutis illius categoriae atque ab eorum sodalibus applicari et observari possunt (cf. *ibid.*, n. 26). Evidens autem est quod singula Instituta his paucis normis vitam et activitatem atque actionem gubernii evolvere non possunt ut finem proprium consequantur. Inde maior necessitas quam antea pro unoquoque Instituto habendi statuta apta vel leges particulares suis exigentiis respondentes.

En unum ex praincipiis motivis renovationis Institutorum a Patribus Concilii enixe commendatae et auctoritative impositae. In Decreto *Perfectae Caritatis* Concilium tradit tantum generalem delineationem renovationis et recognitionis iuris particularis Institutorum et relinquit Sedi Apostolicae ut normas magis practicas tempore opportuno statuat quae Instituta dirigant et adiuvent in eorum labore, tanti momenti pro vita et profectu eorum (cf. *ibid.*, n. 27). Ad hoc tamen ut fructus huiusmodi renovationis uberior sit et veluti perennis, Ecclesia statuit ut deinceps recognitio iuris

particularis Institutorum, magna ex parte, ipsis Institutis relinquatur, iuxta determinationem faciendam in propriis statutis. Ita fiet ut, excepto iure fundamentali Instituti, cuius recognitio — si et quatenus possibilis — absque consensu competentis Ecclesiae Auctoritatis fieri non potest, normae aliae disciplinares ab intra gradualiter recognosci et adaptari possunt, attentis exsurgentibus necessitatibus vel adjunctis temporis et loci. Ad hoc igitur ut in re tanti momenti errores quantum fieri potest vitentur et abusus non admittantur, normae directivae pro hoc negotio a Summo Pontifice traditae in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (cf. *AAS*, LVIII, 1966; II, Pars I, nn. 12-14, p. 777) enucleatae sunt in duobus brevibus canonibus praeliminariis, qui illum sequuntur de quo iam sermo factus est.

4. Necessarium non videtur alia hic recolere ex introductione ad canones praeliminares secundae partis Schematis Generalis quae invenitur in mea Relatione Introductiva Decima (cf. III, nn. 25-28).¹ Invito tamen omnes Rev.mos Consultores nostri Coetus Studiorum ut in discussione horum canonum praeliminarii prae oculis habeant quae ibidem dicta sunt.

Iuxta postulata Consultorum, textus canonum praeliminarii secundae partis iterum examini Consultorum Parvi Coetus subiectus fuit, et, attentis suggestionibus et propositis in scriptis datis a quibusdam Consultoribus, aliquantulum emendatus fuit. Textus igitur horum canonum qui infra ponetur est ille nuper emendatus a Consultoribus Parvi Coetus. Pro commoditate conferendi ambos textus, ille propositus in Relatione Introductiva Decima in notulis ponetur.

CANONES PRAELIMINARES

5.

CANON PRIMUS

§ 1. Per multa in Ecclesia sunt Instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacientem, vel cum eis in seculo conversantem.

§ 2. Mentem igitur fundatorum atque proposita Instituta fideliter servare debent, ideoque natura, finis et indoles necnon sanae traditiones mutari nequeunt.

¹ Cf. supra, pp. 167-170.

Notae:

a) Textus huius canonis in praecedenti Relatione Introductiva propositus substantialiter non est mutatus, quamvis formulatio § 2 non parum a praecedenti differat. En textus anterior: «§ 1. *Permulta in Ecclesia sunt Instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim alia imitantur orantem, alia actuosa operositate hominibus benefacientem, alia cum eis in saeculo conversantem.* § 2. *Nemini fas est fundatorum mentem atque proposita necnon Institutorum leges ita mutare ut finis, natura et indoles (indoles, fines mediaque) ipsorum Institutorum essentialiter innoventur».*

b) Sicut iam innui in parte introductiva huius Relationis, et sicut dixeram in praecedenti Relatione Introductiva, § 1 huius canonis videtur constituere congruam introductionem in partem secundam Schematis Generalis quia ibidem poni debent praescripta specialia iuris communis quoad unamquamque supremam categoriam Institutorum perfectionis. Cum autem in can. 3. Tit. VI partis primae Schematis Generalis expresse dicatur supremam vitae regulam pro omnibus sodalibus Institutorum perfectionis esse: «*Christi sequelam in Evangelio propositam*», optimum videtur, hic in initio secundae partis, indicare modos praecipuos quibus Christus sequi potest in variis Institutis perfectionis. Textus paragraphi constituitur quadam libera adaptatione verborum Patrum Concilii in Decreto *Perfectae Caritatis* n. 8 et Const. Dog. *Lumen Gentium*, n. 46. Hodie enim huiusmodi variae sequelae Christi in theologia ascetico-mystica pacifice admittuntur. Hoc tamen non significat inter varios modos haberi distinctionem vel separationem, ita ut Instituta vel sodales qui sequuntur Christum actuosa operositate hominibus benefacientem illum non sequantur etiam orantem et viceversa. Haec sunt tantum indicationes genericae desumptae ex principaliori propositione variorum Institutorum.

c) Mutationes introductae in priorem textum minoris sunt momenti, ut iam dictum est. Additum est adverbium «*pressius*» ad indicandum quod hic agitur *de sequela Christi speciali*, quae distinguitur a sequela Christi fidelium qui vitam propriam in quodam Instituto perfectionis non consecraverunt Deo cum obligatione observandi consilia evangelica. Potius quam «*imitantur*» placuit verbum «*sequuntur*» quod est vocabulum magis dynamicum et magis concordat cum iis quae in aliis partibus statuta sunt quoad obligationes Institutorum et eorum sodalium. Dicitur tandem: *vel... vel*, loco, *alia... alia* ad hoc ut locus non detur interpretationi erroneae iuxta quam instituta quae unam viam in sequela Christi persequuntur de aliis nihil assumere possunt.

d) Praescriptum § 2 appetat tamquam naturalis consequentia § 1. Si enim Instituta perfectionis in Ecclesia oriuntur secundum gratiam quae data est eis et sunt diversa quia a Deo diversam receperunt vocationem, clare consequitur eadem Instituta essentialia seu fundamentalia elementa eorum vitae et activitatis sancte ac religiose conservare debere nec eis fas est illa tangere quia secus naturam et vocationem eorum mutarent.

e) Formulatio huius § 2 mutata est quia prior habebat introductivam expressionem: «*Nemini fas est*», quae pluribus non placet et etiam ratione completionis. At-

tentis quae dicuntur in Decreto *Perfectae Caritatis* et in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, posterior formulatio appareat magis completa et apta ad mentem Ecclesiae interpretandam. Tandem, posterior formulatio videtur praferenda quia vitat vocabuli «essentialiter» usum. Haec vox non videtur idonea ad exprimendum sensum intentum et ego iam in praecedenti Relatione Introductiva dubium meum manifestavi circa inclusionem eiusmodi verbi (cf. Relationem Introductivam Decimam, n. 29).¹

6. CANON SECUNDUS

§ 1. Elementa de quibus in § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Institutis codice praecipuo, quocumque nomine veniat, sancienda sunt et, prout a competenti Ecclesiae Auctoritate approbata, absque eiusdem beneplacito mutari nequeunt.

§ 2. Ceterae normae ad Instituti vitam, regimen et disciplinam pertinentes a competenti eiusdem Instituti Auctoritate statuantur et apte colligantur, quae tamen iuxta ius particulare congrue recognosci et adaptari possunt atque debent.

Notae:

a) Prior formulatio huius canonis substantialiter eadem continebat praescripta, sed praesens textus magis clarus appetet et quasdam vitat difficultates. En prior textus: «§ 1. Quae essentialia sunt ad normam § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Institutis codice praecipuo, quocumque nomine veniat, statuenda sunt et a competenti Ecclesiae auctoritate approbari debent nec absque eiusdem beneplacito mutari possunt. § 2. Omnes aliae normae ad vitam, regimen et disciplinam pertinentes, a competenti Instituti auctoritate constitutae, in codicibus additiciis reponendae sunt, quae, prout necessitas vel utilitas postulat, ad normam iuris particularis recognosci et aptari possusnt».

b) De convenientia et utilitate ponendi hunc canonem tamquam praeliminarem secundae partis Schematis Generalis iam sufficienter exposui tam in Relatione Introductiva praecedenti quam in introductione huius Relationis. Unde inutile esset hic iam dicta repetere. Per has normas principium subsidiarrietatis sapienter ab Auctoritate competenti Ecclesiae et potissimum a Sede Apostolica Institutis perfectionis applicatur. Nemo enim melius sibi suisque necessitatibus ius particulare aptare et, quando necessitas urget vel utilitas suadet, recognoscere potest quam ipsum Institutum. Attamen, negotium hoc a quibusdam periculis liberum dici non potest et ansam praebere potestabus etiam gravibus. Propterea, quoad elementa quae structuram fundamentalem cuiusque Instituti, retenta est cautela beneplaciti Auctoritatis competentis Ecclesiae eiusque necessaria supervisio.

¹ Cf. supra, pp. 170-171.

c) Motiva ob quae variae mutationes in priorem textum inductae sunt ita breviter exponi possunt. Derelicta est expressio: «Quae essentialia sunt» paragraphi primae propter difficultates interpretationis cui locum dare potest. De hoc iam breviter locutus sum in ultima notula canonis praecedentis. Deinde, phrasis: «et a competenti Ecclesiae auctoritate approbari debent» mutata est in aliam, nempe: «prout a competenti Ecclesiae Auctoritate approbata». Prima formulatio innuere videbatur obligationem in Auctoritate Ecclesiae approbandi quae Institutum ponit in suo codice primario. Quod evidenter falsum est. Tamen melius est ut res clare ponantur ad praecavendas cavillationes. In § 2 directe imponitur obligatio omnibus Institutis ut ceteras normas magis particulates et practicas, quae tamen omnino necessariae sunt ad vitam Instituti dirigendam, statuant et apte colligant forma et modo eius magis adaptato. Proinde mentio non fit de codicibus additiciis, sicut factum fuit in priori textu. Non pauca enim Instituta non adoptaverunt codices vel libellos distinctos pro elementis fundamentalibus in unum colligidis et pro aliis praescriptis magis particularibus et practicis. Tandem congrua recognitio et adaptatio horum praescriptorum particularium non tantum permittitur vel suadetur sed imponitur quando necessitas vel utilitas Ecclesiae vel Instituti illas exigunt.

7.

CANON TERTIUS

In his textibus redigendis spiritualia et iuridica opportune coniungantur; normae tamen absque necessitate ne multiplicentur.

Notae:

a) Textus anterior huius canonis ita sonabat: «§ 1. In his codicibus conficiendis spiritualia et iuridica ita componantur ut proprium Instituti donum vitae consecratae in eis plene exprimatur. § 2. Normae tamen ne multiplicentur cum Institutorum incrementum potissimum in fidelis observantia obtineatur».

b) Praescriptum huius canonis ad actum reducere intendit optata Patrum Concilii in Decreto *Perfectae Caritatis* nn. 2-4 potissimum expressa et apprime concordat cum normis directivis latis in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* in nn. 12-13, partis II. Ceterum, similem normam directivam Coetus noster adoptavit pro formulatione iuris communis Instituta perfectionis respicientis (cf. Relationem Conclusivam Sessionis III, Norma I).¹ Agitur de nova methodo ab Ecclesia adoptata pro formulatione iuris particularis Institutorum — quae tamen adhiberi debet etiam in formulando iure communi praeferenda eadem Instituta eorumque sodales respiciente. Ariditas expressionis canonum Codicis vigentis et etiam fere omnium Constitutionum Institutorum cum sequelis quae in vita Institutorum et sodalium manifestae sunt, Ecclesiam induxit ad novam viam in hac parte ingrediendam.

¹ Cf. *Communicationes*, XVIII, 1986, 200.

c) In hac posteriori formulatione ex duabus §§ unum tantum praescriptum factum est. Et recte quidem, quia necessarium fuit expungere phrases: «ut proprium Instituti donum vitae consecratae in eis plane exprimatur» et «cum Institutorum incrementum potissimum in fideli observantia obtineatur». Prima enim constituit finem legis dum altera eius motivum.

8. Post novissimum examen praecedentium canonum praeliminarium secundae partis Schematis Generalis a Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus peractum iuxta commendationem factam in ultima sessione nostri Coetus Studiorum, ab eis quaesivi ut attente considerarent utrum — iuxta eorum prudens iudicium — dicti canones idoneam et sufficientem constituerent introductionem in legislationem specialem Instituta perfectionis eorumque sodales spectantem. Omnes autem opinaverunt per illos canones adaequatam haberi introductionem et ideo nihil addendum esse utpote non necessarium.

Alia etiam quaestiuncula examinata fuit a Parvo Coetu Consultorum. Ex comparatione inter canonem quartum Tituli VI Primae Partis Schematis Generalis, in sessione decima approbatum, — quando discussio habebatur circa obligationes Institutorum perfectionis eorumque sodalium — et canonom primum praeliminarem huius secundae partis Schematis Generalis, percipitur quaedam repetitio conceptus et fere etiam verborum quae in primo horum canonum necessaria non appetat. Statuitur enim in quarto canonie Tituli VI Primae Partis: «Sodalibus omnibus officium incumbit impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi iuxta propriam uniuscuiusque Instituti vocationem. Sollicite igitur attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret, *vel in monte contemplantem, vel Regnum Dei annuntiantem, vel inter homines conversantem eorumque necessitatibus occurrentem, semper autem voluntati Patris qui eum misit oboedientem*». Textus vero canonis primi praeliminaris supra (p. 3)¹ invenitur. Sed pro commoditate collationis hic iterum refertur tantum quoad § 1: «Permulta in Ecclesia sunt Instituta Perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim pressius sequuntur *vel orantem, vel actuosa operositate hominibus benefacientem, vel cum eis in saeculo conversantem*».

Re mature perpensa, Consultoribus Parvi Coetus proposui ut verba sublineata² in relato quarto canone Tituli VI primae partis supprimantur quia repetitionem fere constituunt verborum sublineatorum in supra posito canone primo praeliminari, § 1. Melius autem mihi videbatur supprimere

¹ Cf. supra, p. 238.

² N.B. In hac publicatione verba, quae in Relatione originali sublineata erant, litteris cursivis edita sunt.

verba sublineata canonis quarti Tituli VI primae partis quia verba in alio canone posita apparent necessaria ad innuendas varias categorias Institutorum de quibus agitur in parte secunda Schematis Generalis. Omnes Consultores Parvi Coetus propositionem approbaverunt et edixerunt dicta verba canonis quarti Tituli VI suppressa esse. Rogo omnes Rev.mos Consultores nostri Coetus Studiorum ut mentem suam circa quaestionem aperiant.

II. Titulus Primus: DE INSTITUTIS MONASTICIS

9. Perdurante ultima sessione nostri Coetus Studiorum, ulterior discussio facta est circa secundam partem Schematis Generalis nostrae partis Codicis recognoscendi et, omnibus consentientibus, haec secunda pars non amplius erit dividenda in «Sectiones», sicut antea propositum fuerat, sed in «Titulos» et «Articulos», ut identica divisio ac in prima parte habeatur. Praecedens prima subdivisio huius partis secundae Schematis seu «Sectio I», cuius rubrica erat: «De Institutis Monasticis» in tres Titulos erat divisa, nempe: Tit. I: «De Monachis»; Tit. II: «De Monialibus»; Tit. III: «De Clausura Monialium». Post discussionem in ultima sessione factam, huiusmodi «Sectio» reducta est ad unicum Titulum qui rubricam dictae «Sectionis» retinet, nempe: «*Titulus I: De Institutis Monasticis*». Titulus autem in duos tantum dispescitur Articulos, scilicet: «*Articulus I: De Monachis*»; «*Articulus II: De Monialibus*». Non enim necessarium videbatur distinctam partem «clausurae» reservare.

Congruum videtur hanc secundam partem Schematis incipere per formulationem canonum qui Instituta Monastica respiciunt. Imprimis huiusmodi Instituta reputantur tamquam antiquior forma vitae consecratae in Ecclesia, si excipiatur vita eremitica, quae tamen uti Institutum vix umquam apparuit ob evidentes rationes. Instituta deinde quorum sodales integre ad contemplationem divinorum dedicabantur et dedicantur abs dubio inter instituta monastica adnumeranda sunt et — ut aiunt Patres Concilii Vaticani II — «praeclaram partem semper retinent» (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 7). Quare, absoluta discussione circa canones praeliminaires secundae partis Schematis Generalis, recte transitus fit ad formulationem et examen canonum qui necessarii existimantur in iure communi in hac parte, quia praescripta generaliora, quae in Parte Prima inveniuntur, non apparent sufficientia pro necessitatibus et exigentiis huius categoriae Institutorum. Numquam tamen obliviscendum est etiam hos canones oportet ut sint indolis generalis, tam ob notabiles differentias quae inter varia Instituta monastica habentur quam ob officium iuris communis — potissimum

in hac parte — facilitandi et non impediendi formationem vel constitutionem iuris particularis apti et accommodati in unoquoque Instituto. Quod hic dixi evidenter non coarctatur ad legislationem specificam Institutorum monasticorum sed applicandum est quoque in formulatione canonum qui alias categorias Institutorum perfectionis respiciunt.

10. Abs dubio intentio omnium Consultorum nostri Coetus Studiorum in reservando titulo integro Codicis recogniti pro legislatione specifica circa Instituta monastica est ea in meliori conditione ponere ut locum proprium in Ecclesia habeant et ut « fideliter servetur atque magis in dies elucescat in suo germano spiritu... venerabile vitae monasticae institutum, quod praeclera merita longo saeculorum cursu in Ecclesia et in humana consortione sibi acquisivit » (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9). Unde clarum omnino esse debet nos nullo modo in animo habere quidquam istis Institutis imponendi quod naturae, fini, indoli et sanis eorum traditionibus non congruit. Volumus ea adiuvare et nullo modo damnificare.

Attamen formulatio canonum specificorum qui vitam Institutorum monasticorum eorumque sodalium respiciunt non est res facilis. Imprimis, inter familias quae sub nomine Institutorum monasticorum veniunt non parva habetur discrepancia. Quaedam enim familiae integre contemplationi divinorum ex professo dedicantur, aliae vero — utique modo exceptionali — operibus apostolatus quoque incumbunt, dum aliae non paucae in variis apostolicis et caritativis activitatibus ita applicantur ut — saltem ab extra — vix ulla appareat differentia inter istas familias monasticas et Instituta perfectionis, sive religiosa sive non, quae ex fine proprio operibus apostolatus addicta sunt quaeque vitae « mixtae » vel « activae » vulgo appellantur. Deinde sodales diversarum familiarum monasticarum non conveniunt in descriptione monachi et Instituti monastici. Ubinam igitur invenitur germanus spiritus venerabilis vitae monasticae instituti quem Patres Concilii servare et fore volent? Abs dubio Instituta monastica « quae integre ad contemplationem ordinantur » speciale laudem adepta sunt in Decreto *Perfectae Caritatis* (cf. n. 5) et Ecclesia vult ut eorum ratio vivendi secundum principia et criteria a Concilio statuta recognoscatur: « sanctissime tamen servatis eorum a mundo secessu atque vitae contemplative exercitiis propriis » (*ibid.*). Unde clarum remanet hanc formam vitae monasticae continere « germanum spiritum » venerabilis instituti vitae monasticae de quo Patres Concilii locuti sunt. Et hoc tam verum est quod iidem Patres, volentes describere praecipuum officium monachorum — quod consistit in humili simul ac nobili servitio divinae Maiestati praestando — primo loco affirmant hoc officium potissimum compleri et effici « in umbratili vita integre... divino cultui » a monachis dedicata (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9).

11. Quid autem dicendum est de illis Institutis monasticis quae activitatem apostolicam admittunt et exercent? Num etiam in his formis vitae formis inveniatur «spiritus germanus» venerabilis instituti vitae monasticae? Magnam difficultatem non praeseferunt Instituta monasticae quae tantum *exceptionaliter* aliqua opera apostolatus assumunt. Patres enim Concilii non prohibuerunt Institutis monasticis legitimam assumptionem aliquorum operum apostolatus vel christianaे caritatis (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9). Sed quid dicendum de iis Institutis monasticis quae «ex propriis statutis» varia opera apostolatus et christianaе caritatis ordinarie exercent? Si oppositio admittatur inter primam et alteram periodum numeri 9 Decreti *Perfectae Caritatis* seu inter Instituta monastica et «religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio chorali observantiisque monasticis», potius sequeretur Instituta monastica «ex regula vel instituto» legitime opera apostolatus vel christianaе caritatis assumere non posse. Sed quaestio non est clara nec nostra interest problema doctrinalia circa hoc punctum vel circa alia controversa hic solvere vel partes sumere pro una vel pro altera opinione. Difficultas praedicta sese praesentat non tantum ex consideratione Institutorum monachorum sed etiam ex illa Institutorum monialium. Saltem ex iis quae externe apparent, habentur plura Instituta mulierum consecratarum quae appellantur moniales quaeque tamen non videntur in aliquo differre ab aliis mulieribus consecratis in Institutis ex officio operibus apostolatus deditis. Immo hodie neque qualitas votorum tales mulieres consecratae distinguit quia ex induito apostolico plures «moniales» vota tantum simplicia emittunt.

12. Attente tamen perlegendio quae Concilium statuit in nn. 7 e 9 Decreti *Perfectae Caritatis* circa Instituta quae integre ad contemplationem ordinantur et venerabile vitae monasticae institutum, mihi videtur Patres Concilii, dum ex una parte voluisse extollere et fovere Instituta vitae integre contemplativae et simul noluisse ratihabere abusus qui forsitan irrepererant in quaedam monastica Instituta per assumptionem excessivam operum apostolatus vel per adoptionem illorum quae cum vita monastica vix congruere possunt, ex alia vero actualem situationem horum Institutorum et praesertim hodiernas Ecclesiae necessitates prae oculis habuerunt et attente consideraverunt. Propterea agnoverunt Patres factum legitimae assumptionis «aliquorum» operum apostolatus vel christianaе caritatis pro Institutis monasticis quae illa de facto exercent sed simul monitum salutare eis dederunt ut sese coarctarent ad illa opera apostolatus vel christianaе caritatis exercenda quae congruunt cum indole propria institutionis monasticae et cum antiquis et beneficiis Institutorum monasticorum traditionibus; utique reno-

vatis et accommodatis hodiernis animarum necessitatibus, «ut monasteria veluti seminaria sint aedificationis populi christiani» (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 9). Hoc monitum — vel potius mandatum — praeprimis dirigitur in Instituta monastica quae opera apostolatus exercent. Nam, pro institutis quae integre ad contemplationem ordinantur, habetur aliud monitum vel mandatum in fine n. 7 eiusdem *Decreti Perfectae Caritatis*.

Re quidem vera, in prima sessione huius nostri Coetus Studiorum — quando adhuc sub nomine «*De Religiosis*» veniebat — secundus canon qui tunc formulatus est monachos respiciebat et plus minusve eosdem conceptus continebat quos supra exposui. Prima paragraphus huius canonis consistit in quadam notione descriptiva monachi quae sociat rerum divinarum contemplationem cum caritate apostolica. Sed in secunda paragrapho clare statuitur monachum dumtaxat illa opera apostolatus vel christiana caritatis assumere posse «quae cum vitae monasticae indole consentanea sint». En textus canonis: «§ 1. Nomine monachi venit religiosus qui, secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas, morum conversione vitam vel anachoreticam vel caenobiticam dicit in opere Dei et in labore, *ut in rerum divinarum contemplatione et in caritate apostolica solum Deum Eiusque Regnum quaerat.* § 2. *Monachus, iis tantum apostolatus vel christiana caritatis operibus incumbere potest quae cum vitae monasticae indole consentanea sint.*».

13. Rebus sic stantibus, Consultoribus Parvi Coetus necessarium apparet maxima cum prudentia et circumspectione in hac parte procedere ut plus non imponatur Institutis monasticis quam Patres Concilii statuerunt. Quapropter, nonnisi praescripta quae omnino necessaria considerantur in hoc Titulo inserta sunt. Schema propositum in priori documento, lingua italica exarato et Consultoribus nostri Coetus distributo in praecedenti sessione (cf. Doc. «*Secunda pars Schematis Generalis propositi: Titulus Primus De Institutis Monasticis*»),¹ sat profunde immutatum est in protractis discussionibus habitis inter Consultores Parvi Coetus. Relicta, pro momento, quaestione de monialibus de quibus postea sermo erit, nunc quaedam breviter de canonibus Articuli I huius Tituli I secundae partis Schematis disserendum est.

Uti iam supra dictum est Titulus I, cuius rubrica immutata remanet, in duos dividitur Articulos, quorum primus agit «*De Monachis*». In nova redactione non amplius apparent duo canones introductivi circa notionem Institutorum monasticorum eorumque divisionem in illa quae integre ad contemplationem ordinantur et illa quae aliqua opera apostolatus vel christiana

¹ Cf. infra, p. 261.

caritatis exercent. Suppressio primi canonis ideo facta est quia notio ibidem tradita applicari poterat tantum Institutis integre contemplativis ac proinde magnam difficultatem pro aliis Institutis monasticis creare poterat. Secundus canon, qui introductivus Tituli erat, fit nunc primus canon Articuli I. Notio descriptiva monachi quae desumpta est ex praecitato canone in prima sessione nostri Coetus Studiorum approbato, omnibus Consultoribus parvi Coetus consentientibus, e schemate expuncta est propter difficultatem quam praeseferre potest pro Institutis monasticis integre contemplativis. Ceterum — maxime quando controversiae habentur — diligenter abstinendum est a definitionibus tradendis quae in iure semper periculosae sunt. Notio proinde monachi statuenda relinquitur interpretibus, attentis traditione saeculari et placitis Patrum Concilii. Canon secundus huius Articuli describir officium monachorum modo latissimo ad hoc ut sodalibus omnium Institutorum appetari possit absque ullo detrimento. Tertius canon tradit descriptionem quamdam monasterii ad hoc praecipue ut statuatur quod Abbas, qui est moderator huius domus religiosae, est moderator maior in iure et quod monasterium est sui iuris. In quarto canone admittitur possibilitas, a Patribus Concilii expresse admissa, foederationis monasteriorum eiusdem familiae monasticae et confederationis foederationum cum beneplacito Sedis Apostolicae. Huismodi autem foederationes et confoederationes iure particulari reguntur. Canon quintus imponit Institutis monasticis ut confiant propriam rationem institutionis sodalium naturae et indoli suae accommodatam. Sextus demum canon statuit necessitatem cooptationis temporariae antequam emitantur vota perpetua per professionem definitivam. In septimo tandem canone agitur de transitu monachorum ab uno monasterio eiusdem familiae monasticae ad aliud. Alii enim transitus nullam habent normam particularem.

Meo humili iudicio — quocum concordant alii Consultores Parvi Coetus — his septem canonibus constituitur legislatio iuris communis specifica pro Institutis monachorum sufficiens et apta. Praescripta enim intentionaliter generalia et flexibilia sunt ut adaequatam libertatem relinquant variis Institutis — quae ut expositum est supra non parum inter se differunt — constituendi sibi ius particulare eorum peculiaribus necessitatibus accommodatum.

Articulus Primus: *De Monachis*

14.

CANON PRIMUS

§ 1. Instituta monastica quae integre ad contemplationem ordinantur praeclaram in Christi Corpore mystico partem semper retinent et Eccle-

siam arcana foecunditate ditant; ideo, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, in suo statu firmiter permaneant.

§ 2. Instituta autem quae aliqua apostolatu vel christiana caritatis opera assumperint, iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sint.

§ 3. Instituta monastica per se nec clericalia nec laicalia sunt.

Notae:

a) Omnibus patet ex quonam fonte vel potius fontibus proveniat iste canon. § 1 fere ad verbum desumpta est ex n. 7 Decr. *Perfectae Caritatis*, § 2 conflatur ex quadam propositione quae invenitur in n. 9 eiusdem Decr. *Perfectae Caritatis* et ex adaptazione ad Instituta monastica, quae non sunt integre contemplativa, paragraphi secundae canonis secundi in prima sessione nostri Coetus Studiorum formulati et approbati (cf. Schema generale iuris recognoscendi « de Institutis perfectionis » in Sessione VI^a approbatum).¹ § 3 vero est etiam adaptatio ad Instituta monastica § 3 eiusdem canonis iamiam citati.

b) Quamquam canon suprapositus inveniatur sub rubrica Art. I « De monachis », evidenter applicatur non tantum monachis sed etiam monialibus, quia et ipsae in iisdem conditionibus inveniri possunt. Re quidem vera in Art. II huius Tituli, qui de monialibus agit, habetur praescriptum applicans « pari iure » monialibus quae statuta iam erant de monachis (cf. Art. II, can. 8, § 2).

c) Structura huius canonis videtur logica et rationabilis, fundata in principiis theologicis universim acceptatis. Per hunc namque canonem Instituta monastica dividuntur in duas supremas sectiones iuxta vitam quam agunt. Praecedentia datur Institutis monasticis quae integre ad contemplationem ordinantur seu quorum sodales in secessu a mundo atque in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri poenitentia et in exercitiis vitae contemplativei propriis soli Deo vacant (cf. Decr. *Perfectae Caritatis* n. 7). Etsi citatum Decretum Conciliare in numero indicato non vocat haec « instituta monastica », nemo certe miretur quare in § 1 huius canonis ita vocentur. Nullum enim habetur dubium quin haec Instituta contemplativa monastica sint, sicut demonstratur ex n. 9 eiusdem Decreti conciliaris. Mandatum his Institutis contemplati vis datum in § 1, ut firmiter permaneant in suo statu, certe interpretatur praedilectionem quam erga ea et eorum sodales Ecclesia semper exhibuit: quod luculenter demonstrat ultimum Concilium Oecumenicum.

d) In § 2, dum Legislator ex una parte concedit quibusdam Institutis monasticis qui hoc desiderant possibilitatem assumendi quedam opera apostolatus vel caritatis christiana, ex alia imponit ut haec opera oculatim seligantur et ea tantum assumant quae apprime concordant cum eorum vita et fine et non impediunt eorum primum et

¹ Cf. *Communicationes*, XXV, 1993, 270-275.

principale officium quod certe non est apostolatus indiscriminatus. Hoc tamen iam supra sufficienter expositum fuit et necessarium non est iam dicta repetere. Ceterum § haec iam approbata fuit in prima sessione huius Coetus et similiter § 3.

15.

CANON SECUNDUS

Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium intra septa monasterii praestare.

Notae:

a) Textus huius canonis «ad pedem litterae» desumptus est ex n. 9 Decreti *Perfectae Caritatis*. Statuta namque distinctione in praecedenti canone inter familias monasticas quae vitam integre contemplativam ducunt et illas quae excent aliquam activitatem apostolicam vel caritativam peculiari earum vocationi monasticae consentaneam, congruum videtur nunc cum Patribus Concilii stabilire quod, non obstante hac diversitate, principale munus omnium Institutorum monasticorum et omnium monachorum est peculiare servitium Deo praestare, quod identicum esse non potest cum eo quod ab Institutis alias generis Maiestati divinae praestatur. Fulcrum enim huius servitii, uno vel alio modo, debet esse monasterium quod veluti seminarium sit oportet aedificationis populi christiani (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 9).

b) Per inclusionem expressionis «intra septa monasterii» in hunc canonem, nullo modo intendo partes sumere in controversia circa interpretationem istorum verborum vel unam interpretationem pree aliam amplecti. Verba usitata sunt a Patribus Concilii et mihi apparent tamquam complementum loci quod afficit «munus seu officium praecipuum» omnium monachorum.

16.

CANON TERTIUS

§ 1. Monasterium appellatur domus religiosa in qua monachorum vita peragitur sub moderamine et cura Abbatis qui iure est moderator maior.

§ 2. Quodlibet monasterium est sui iuris nisi aliter iure particulari expresse caveatur.

Notae:

a): Regimen monasticum aliquid speciale continet quod conservari debet tam quia descendit a primordiis monachismi quam ob momentum speciale quod habet in vita monasteriorum et sodalium. Abbas monasterii semper consideratus est tamquam Superior independens suaem communitatis et pater spiritualis suorum monachorum, licet multa haberentur monasteria quae eamdem sequebantur regulam et ad eamdem familiam monasticam pertinent. Propter stabilitatem in pertinentia ad monasterium,

quam monachi regulariter habent, congruum appetet disciplinam traditionalem et etiam iuris vigentis servare.

b) Monasterium appellatur domus «religiosa» quia monachi sunt veri religiosi qui consilia evangelica publice profitentur secundum determinationes proprii iuris particularis. Nam in secundo canone in prima sessione approbato expresse dicitur in § 1: «Nomine monachi venit *religiosus* qui, *secundum primaevas formas professionis consiliorum evangelicorum traditas,...* *vitam... ducit...*». Cum autem monasterum sit regulariter domus autonoma — sicut statuit in § 2 huius canonis — Abbas qui est ordinarius Superior eius recte in iure considerari debet tamquam moderator maior cum omnibus iuribus et obligationibus quae hoc officium importat.

17.

CANON QUARTUS

§ 1. Monasteria sui iuris, dummodo sint eiusdem familiae monasticae in foederationes, hae vero in confoederationes, uniri possunt cum beneplacito Apostolicae Sedis.

§ 2. Quae foederationes et confoederationes proprio reguntur iure, salva tamen semper monasteriorum authonomia.

Notae:

a) Patres Concilii non parum favent foederationibus inter monasteria sui iuris — et etiam inter alia Instituta perfectionis — et exoptant ut haec inter se foederationes promoveant, «si quodammodo ad eamdem familiam religiosam — in casu nostro monasticae — pertinent» (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 22). In hac foederatione monasteria sui iuris plura adiumenta invenire possunt tam ut spiritum propriae familiae melius fore possint et nexus inter varias communitates et sodales intimius in dies fiat quam ad hodie necessariam collaborationem habendam in pluribus campis ac potissimum in institutione sodalium iuniorum sive religiosa et spirituali sive intellectuali.

b) Citatum Decretum Conciliare *Perfectae Caritatis* non loquitur de confoederatione foederationum monasteriorum. Sed evidenter non potest esse contrarium. Etenim foederatio ordinarie non permittitur nisi inter monasteria eiusdem familiae monasticae. Nam, in citato Decreto n. 22, hoc ponitur veluti conditio: «si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent». Haec verba, ni fallor, significare videntur quod in iure vigenti vocatur «Congregatio monastica». Etenim haec in can. 488, 2º describitur tamquam: «plurium monasteriorum *sui iuris* inter se coniunctio sub eodem Superiore». Haec autem «coniunctio» identificari non videtur cum *unione* vel *associatione* de quibus loquuntur Patres Concilii in eodem Decreto: *Perfectae Caritatis* n. 22, uti appareat ex descriptionibus ibidem datis. De facto in Annuario Pontificio fit sermo de Congregationibus Monachorum Benedictinorum «confederati» (cf. p. 1104) et similiter de Congregationibus Canonicorum Regularium S. Augustini «confederati» (cf. p. 1102).

c) Sicut in Decreto *Perfectae Caritatis* n. 22 disponitur, etiam in hoc canone ponitur tamquam conditio ad foederationem et confoederationem faciendam beneplacatum Sedis Apostolicae. Haec est cautio quaedam ut huiusmodi incopta (iniziativa), quae iura et structuram monasteriorum laedere possunt, recte fiant. Non est enim res levioris momenti nec potest dici negotium omnino internum, sicut est divisio Religiosis centralizatae in provincias. Hic agitur de monasteriis «*sui iuris*» quae ab aliis, etiam eiusdem familiae, independentia sunt. Et haec est ratio quare in § 2 huius canonis, licet statuatur foederationes et confoederationes gubernari iuxta ius particolare: «*regi proprio iure*», — et hoc congruum apparet quia uniones huiusmodi sunt effectus veluti contractus inter varia monasteria vel Congregationes monasticas — additur tamen in fine canonis: «*Salva tamen semper monasteriorum autonomia*». Haec enim videtur esse conditio sine qua non veri monasterii.

18.

CANON QUINTUS

Instituta propriam de sodalium tam monastica quam sacerdotali institutione rationem habeant iure particulari statutam.

Notae:

a) Decretum *Perfectae Caritatis* repetito modo et ex diverso aspectu praecipit et insistit ut sodalibus Institutorum Perfectionis tradatur accommodata institutio tam moralis et spiritualis quam intellectualis, iuxta indolem et finem cuiusque Instituti (cf. nn. 2d, 3, 6, 8, et praesertim 18). In Prima Parte Schematis Generalis, praeter septem canones Art. 2 Tituli V, qui agunt: «De receptorum institutione», habetur etiam Art. 4 eiusdem Tituli cuius rubrica est: «*De cooptatorum institutione*», qui tribus constituitur canonibus valde ad quaestionem aptis. Huiusmodi praescripta abs dubio valent etiam pro Institutis monasticis et pro familiis monachorum. Neque dubito quin haec legislatio sit substantialiter sufficiens pro omnibus institutis perfectionis et consequenter etiam pro monasticis. Hoc tamen non obstante opportunum visum est mihi et aliis Consultoribus parvi Coetus hunc brevem canonem hic adiungere, attenta speciali conditione monachorum et peculiaribus exigentibus vitae monasticae. Ad hoc autem ut «germanus spiritus» venerabilis vitae monasticae instituti servetur et magis in dies elucescat — ut exoptant Patres Concilii et omnes christiani cum eis — maxime confert ratio institutionis et studiorum appropriata ad necessitates peculiares vitae monasticae et ad activitatem specificam monachorum, sive hi laici sint sive sacerdotes.

19.

CANON SEXTUS

Professio monastica obligationem secumfert tria evangelica consilia observandi voto firmatam, cui praecedere debet cooptatio temporaria ad normam can. 2 (in Sessione IX^a approbat).

Notae:

a) Motivum inserendi hunc canonem in hunc Articulum est sequens. Non pauci monachi conquesti sunt ob impositionem, iure Codicis factam membris cuiusvis Institutum religiosi, quod vota perpetua habeat, et consequenter etiam membris Institutorum monasticorum, praemittendi professionem votorum temporariorum saltem trium annorum professioni perpetuae. Iuxta praedictos monachos haec professio votorum temporariorum non concordat cum indole Institutorum monasticorum et cum traditione monastica.

b) Sed in parte prima seu Generali nostri Schematis — et praecise in Titulo V, Art. 3: «De cooptatione in Institutum», cuius canones in Sessione IX^a nostri Coetus Studiorum approbati sunt, habetur can. 2, qui ex una parte imponit, pro omnibus Institutis perfectionis, cooptationem temporariam seu ad tempus definitum «quod nec triennio brevius nec novennio longius sit, nisi aliud iure expresse caveatur» (§ 1), antequam cooptatio definitiva fiat, sed ex alia parte iuri particulari relinquit determinationem vinculorum quae tempore cooptationis temporariae sodales ligare debent. En tenor §§ 2-3 citati canonis: «§ 2. Temporaria cooptatione sodales tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae observanda publice assumunt, *sive voto alio sacro ligamine firmata*. § 3. *Ius tamen particolare permittere potest ut temporaria cooptatione sodalis, loco votorum vel. sacrorum ligaminum, Instituto adstringatur alius generis vinculo, cuius natura et vis ab eodem(iure) adamussim definiantur.* Semper autem sodalis ita cooptatus vitam ducere tenetur iuxta Institutum normas sub auctoritate legitimi moderatoris».

c) Quapropter, in praesenti canone, qui applicatio citati canonis 2 Art. 3, Tituli V primae partis Schematis vocari potest, permittitur etiam Institutis monasticis determinandi in proprio iure particulari ut una habeatur in eorum Instituto professio consiliorum evangelicorum votis firmata, nempe illa perpetua. Nam et ipsi religiosi sunt et pro eis, sicut pro aliis religiosis, professio votorum, saltem perpetuorum, est indispensabilis. Et propter hoc motivum in canone ponitur prima propositio. Sed pro tempore cooptationis temporariae sodalium, Instituta monastica amplam invenire possunt selectionem, ut patet ex canone citato. Et ideo alia ponitur propositio canonis circa cooptationem temporariam. Ex dictis etiam patet quare cooptatio perpetua in canone appellata sit «professio monastica», dum alia simpliciter dicta est «cooptatio temporaria» quia plures formas induere potest.

20.

CANON SEPTIMUS

§ 1. Transitus ab uno monasterio sui iuris ad aliud eiusdem familiae monasticae fieri potest de consensu utriusque Abbatis cum voto deliberativo prorii consilii, salvo semper iure particulari.

§ 2. Ceteri transitus monachorum iure communi reguntur.

Notae:

a) In Titulo VII primae partis Schematis Generalis, ubi ponuntur praescripta canonum qui separationem sodalium a proprio Instituto regulant, habetur Art. I qui agit: « De transitu ad aliud Institutum ». Norma fundamentalis pro transitu sodalis ab uno Instituto perfectionis ad aliud traditur in § 1 primi canonis quae statuit: « § 1. Sodalis nequit a proprio in aliud Institutum transire nisi de consensu Supremi Moderatoris utriusque Instituti cum suffragio deliberativo sui cuiusque Consilii ». Iuxta ius vigens, hoc negotium est reservatum Apostolicae Sedi, etiamsi ageretur de transitu monachi ab uno monasterio sui iuris ad aliud (cf. can. 632).

b) Norma tamen tradita in citata § 1 canonis 1 Art. I Tituli VII Schematis propositi vix applicari potest pro transitu monachi ab uno monasterio sui iuris ad aliud, quia Abbas regiminis, qui est utique Superior Maior seu moderator maior in iure, non consideratur tamquam Supremus Moderator. Propterea necessarius videbatur aliquis canon in hac parte ad specificam normam tradendam pro hoc negotio.

c) Omnibus perpensis, congruum apparuit Consultoribus Parvi Coetus normam generalem pro transitu ab uno Instituto perfectionis ad aliud aptare pro transitu monachi ab uno monasterio sui iuris ad aliud) *dummodo tamen agatur de monasteriis ad eamdem familiam monasticam pertinentibus*. Si enim ad diversam familiam monasticam sodales, qui tansitum facere desiderant, pertineant, tunc norma communis applicanda est. Si enim agatur de monacho qui transire desiderat ab uno monasterio non foederato ad aliud eiusdem conditionis — dummodone tamen pertineant ad eamdem familiam monasticam — norma generalis videtur esse adhibenda. Duo nempe Abbes de regimine considerandi sunt in casu ac si essent Supremi moderatores quia auctoritas altior interna non habetur. Item si duo monasteria de quibus agitur pertineant ad duas foederationes vel confoederationes distinctas.

d) Attamen non est obliviscendum foederationes et confoederationes proprio iure regi ac propterea videndum semper erit utrum quidquam determinatum fuerit iure particulari quoad hanc peculiarem quaestionem. Item in § 1 huius canonis salvatur ius particulare. Hac tamen clausula non est intelligendum ius particulare posse *minus* requirere quam hoc canone et canonibus generalibus primae partis statuit sed posse alias conditiones seu sollemnitates exigere *praeter ius commune*.

Articulus Secundus: De Monialibus

21. Quando supra (nn. 9-13) scribebam introductionem ad hunc Titulum I secundae partis Schematis Generalis et exponebam difficultates quae oriuntur ex consideratione Institutorum monachorum qui « ex regula vel instituto » opera apostolatus et christiana caritatis exercent, iam « per transennam » innui easdem difficultates sese praesentare ex consideratione Institutorum monialium. Dixi enim: « Saltem ex iis quae externe apparent, habentur

plura Instituta mulierum consecratarum, quae moniales appellantur quaeque tamen non videntur in aliquo differre ab aliis mulieribus consacratis in Institutis ex officio seu «ex regula et instituto» operibus apostolatus deditis» (supra, n. 11). Item mentionem feci de facultate data a S. Sede ut moniales possent quaedam opera apostolatus — semper tamen intra muros monasterii — assumere ad earum conditionem oeconomicam sublevandam. Immo facultas facta fuit monialibus, quae hoc desiderassent, mutandi vota sollemnia emissae in vota simplicia. Praeterea, Patres Concilii Vaticanii II, in Decreto *Perfectae Caritatis*, n. 16, clausuram papalem reservarunt «pro monialibus vitae uniae contemplativae» et ab ea exemptas declaraverunt: «... moniales operibus externis apostolatus *ex instituto*» deditas, «ut concredita sibi munera apostolatus melius adimplere valeant, servata tamen clausura ad normam constitutionum» (*ibid.*, n. 16; cf. etiam Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, Pars II, n. 30 et Instructionem *Venite Seorsum* diei 15 augusti 1969, n. 32). Tandem notum est quaedam Instituta mulierum monastica appellantur et eorum sodales «moniales» vocantur ob motiva dumtaxat historica. Quando namque haec Instituta orta sunt Ecclesia non agnoscebat ea tamquam religiosa nisi sodales vota sollemnia emitterent et inter moniales enumerarentur. Huiusmodi tamen Instituta, iuxta proposita fundatorum, non debeant esse ad contemplationem integre ordinata, sed potius ad opera apostolica et ad activitatem caritativam exercendam. Et de facto non faciliter distinguuntur ab Institutis modernis religiosarum quae vitam activam prosequuntur.

